

Gotholengoque, Manerbio, Pontevico, ac plerisque aliis  
 oppidulis voluntaria deditio receptis, Abdua ad Ripal-  
 tam ponte superato, Veneta arma Leonesii ductu Medio-  
 lanum usque pervenere; facta namque spes erat per exu-  
 les, fore ut, si Venetæ copiæ eo admotæ essent, populus  
 omnino aliquid in urbe moveret; sed ad Venetorum con-  
 spectum, quanquam in suburbana tecta expediti equites  
 irrupissent, nullus motus est secutus. Nec multo post Ve-  
 netus castra Soncinum admovit, cujus muros bellicis ma-  
 chinis adortus, attentissima urgere cœperat obsidione. Ad  
 eam solvendam nova hostis via ingressus, cum viginti mil-  
 libus hominum in Brixensem agrum, Ollio ad Cannedu-  
 lum superato, erupit, Gammariaque subito incursu ca-  
 pta, Pontemvicum obsidione adoritur. Veneti duces,  
 disjectis Soncini mœnibus, oppidanos ad ditionem com-  
 pellunt: inde Romenengio potiti, ad hostem ire pergunt.  
 Recepérat interim ille Pontemvicum, qui in Olli ripa  
 est; concesseratque ad Agellum, unde Brixiam ex pro-  
 pinquo infestaret. Leonesius & ipse non procul ab hoste  
 opportunissimo loco metatus, paludis angustias occupat:  
 his locis sæpius vario eventu pugnat. Erant in utri-  
 que castris copiæ omnino ingentes: Venetis ad quindecim  
 equitum millia ac sex peditum: in Sforcianis tria pedi-  
 tum, equitum vero ad octo & decem millia. Quidam  
 annales habent, sub id tempus & ad Porcianum oppidum  
 tribus & amplius horis atroci marte dimicatum, dupli-  
 cemque cladem utrinque acceptam; sed equorum, ob lo-  
 ci difficultates, omnino majorem quam hominum: fuis-  
 setque fortassis usque ad victoriam alterius partis dimica-  
 tum, nisi, fortuna adhuc neutro inclinante, atrox pugna  
 noctis interventu dirempta esset. Hæc circa Abduam ge-  
 rebantur: quum Guilielmus Monferratensis cum quatuor  
 millibus equitum in Alexandrinum agrum tumultuose eru-  
 pit, inde Derthonensem Ticinensemque ingressus, omnia  
 terroris & populationis complevit. Ad illius conatus in-  
 hibendos Sacromor Vicecomes, & Antonellus Burgensis  
 a Sforcia missi, hostem tumultuario prælio Alexandrinis

fini-

*Pugna  
 atrox Vene-  
 torum cum  
 Sforcia.*